

Quos post plures sepulturae dies revocaret ad vitam? An de Magis vulgatum est unquam, quod stratis in undis graderentur, caecos illuminarent, gibbos, mutosque à primis crepundiis solo nutu restituerent? Ea verò, quaecumque fuerint, Magorum atque Idolorum prodigia quis retulit? Integram ne fide viri, coevi, testes oculati, qui earum rerum veritatem sanguine & vitâ testati sunt?

Tota Dæmonis vis in obsidendis divexandisque corporibus, morbis incutiendis, probis viris tentandis impenditur. Christo videndum se praebeat, quod scilicet ab illo imprudente & incauto cultum extorqueret. Potestatem suam ad malum tantummodo injuriamque inferendam habet expeditam; nunquam non mendacii, superflitionis, & impietatis patrem se probans. Sermones cum Eva miscet; cui bono, nisi ut dictis illa Dei perverciacius obstitat? Vim omnem suam in Jobum exerit; quod scilicet de firmissima patientiae arce in barathrum desperationis miserum deturbet. In impietatem tandem atque calamitatem redigendis hominibus, potentiae suae nervos omnes Dæmon ejusque ministri intendunt.

Angeli itaque tenebrarum pro libito in Angelos sese lucis transformant; Beelzebub malis depellendis spiritibus interdum laboret; Pseudo-prophetae sub dolosis prodigiorum mucipulis vel electis ipsis moliantur insidias; semper tamen veritatis à mendacio discernendae ratio erit explorata: gesta ipsa filiorum mundi & tenebrarum, dogmata, doctrina, fides faciem praeserent, ne errare contingat. Rudiores quique ex Fidelibus, judicio atque sanctionibus Ecclesiae, ut par est, inhaerentes, à fistorum prodigiorum dolis minime sibi timebunt. Ecclesiae est enim de missione atque bonorum malorumque Apostolorum meritis judicium. Simonem damnat? prodigiis licet supra fidem coruscanti, Coeli alta petenti, anathema continuo dicimus. Miracula doctrinam, & doctrina miracula fulcit; mutuo illa sibi juncta atque compacta in unum coalescunt. Quare populo judicium, quemadmodum de doctrina, ita de prodigiis interdicitur; utrumque enim amplexa eorum fides, & doctrinae, quam miracula fulciunt, & miraculis, quibus subnexa doctrina, caeco illos obsequio colla submittere jubet. Deducunt à miraculis, Ecclesiae judicio probatis, argumentum, firmum semper quâ rudioribus, quâ doctis Fidelibus ratumque manet; utriusque enim in prodigiis Divinae potentiae, atque autoritatis Ecclesiae, miracula probantis, non obscurum characterem agnoscimus, atque suspicimus.

s Vide Penfées de Pascal, art. des Miracles.

Veri itaque miraculi characteres sunt. 1. vires agentis omnes naturales notas (s), ignoratasque excedat. 2. ad Deum & Jesum Christum dirigat. 3. ne quid in veram doctrinam, pietatem, & Ecclesiam, labis admittat. Rectam hanc miraculorum ideam habuisse Pharisei, Jesu Christi aetate, videntur; ex qua scilicet illi argumentum in eundem Jesum Christum pre-

tendentes, omnes ab illo & doctrinae & morum characteres abesse contendebant. Legem illi eâ occasione proferentes in medium, cautum Judæis dicebant, ne prodigiorum fulgore perstricti, doctrinam contra Legem aliquam subrepere paterentur; omnia quin potius Sacerdotum judicio, de Prophetis decernentium, fore reservanda. Singula autem hæc in Christum urgebant; eum Legis prævaricatorem, damnatam jam Sacerdotum judicio doctrinam spargentem arguebant. Quid igitur Jesu Christo absolvendo apud populum supererat? Quis è populo jure meritoque ab ejus consuetudine non se continuisset? Nec tamen Jesus immunes à culpa Judæos, doctrinam suam non recipientes, pronunciat; ait enim: *Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent (t)*. Erat igitur cur ex miraculis doctrinae argumentum caperent; nec Judæi immunes erant à culpa, si tantâ miraculorum gloria coruscantem Christum non agnoscerent. Recta planè Nicodemus philosophatus est, illis ad Christum verbis [\*]: *Scimus quod à Deo venisti Magister; nemo enim potest hæc signa facere, quæ tu facis; nisi fuerit Deus cum eo*.

Nec planè aliud querendum est nobis argumentum, ut aliquis à Deo missus demonstraretur, si certis miraculorum signis claruerit; ipsis enim impressis à Deo & veritate characteribus distinguitur a dædè, ut quamvis suspectam doctrinam serere videatur, (quam de Christo suspensionem facile Nicodemus admittere poterat, quippe qui Phariseorum traditiones credebatur evertere) omnes tamen dubitationum tenebras, nitens miraculorum fulgor depellit; neque enim Deus in errorem unquam inducere credendus est. Induxisse autem in errorem oporteret, si corruptæ doctrinae disseminatoribus prodigia fervirent; nisi tamen ea esset doctrina, quæ ipsa se falsitatis apertissime argueret; vel saltem ab alio, clarioribus patris prodigiis, non argueretur. Quid enim alioqui in Ecclesia constaret? Si nimirum Ariani, Scripturas prætendentes, dogmatum suorum stipendiaria haberent prodigia; eaque vicissim prodigia nulla fuissent apud Catholicos, iisdem alioqui Scripturis inhaerentes; tum sanè prodigiis inspectis ad pravam Arrianorum doctrinam vel inviti pertraheremur. Hanc igitur invdiam, deducendi scilicet in errorem mortales, subiisset Deus (quod planè ab illo, sanctitatis & justitiae normâ, alienum est) si id unquam committeret, ut in incipiti atque obscurâ questione miracula in deteriorem partem judicii lancem inclinarent. Si verò utrumque miracula pugnent; tunc ad regulas supra à nobis præscriptas foret recurrendum; nempè ad examen doctrinae, ad miraculorum characterem; spectandi mores illius, qui prodigiis claret; consulenda Ecclesiae autoritas, & preces in primis adhibenda; ut ab omni præsumptione, atque immodico votorum actu libera mens, errorem facile à veritate discernat.

Sin,

u Contra Mat-  
cion. l. 3.

Singulare etiam aliquid in hoc argumento observat Tertullianus [u]. Deducunt à prodigiis argumentum, ait, extenuasse Dei Filius visus est, cum illam veritatis dotem etiam mendacio, & Pseudo-Prophetis communem fieri permisit: *Temerariam signorum fidem ostendit, ut etiam apud Pseudo-Christos facillimorum*. Quæ cum ita sint, addit Tertullianus, undenam Christus autoritatem prodigio vindicet, ejusque recipiendum præcipit testimonium, ab eodem interim privilegio tratata à Pseudo-Prophetis miracula excludens? undenam, inquam, nisi quod cum primus ipse venisset, verique miraculi characteres omnes explicasset, ipse sibi fidem conciliavit, atque sibi cordium dominium asseruit? Quemadmodum, enim primus ad balnea ingrediens, vacuum tenens sedem, ocellus foribus, locum occupat solus; ita pariter Jesus Christus fidem occupavit, posteris quibusque præcipuit; putata venturos Pseudo-Christos prædicens, atque depingens, fidem illis omnem abrogavit.

x In Joann.  
evang. l. 3.

Donatistis Pontii cujusdam miraculum jactitantibus, factamque divinitus vocem Donato, dum preces funderet, narrantibus, S. Augustinus hæc reponit (x): *hereticos semetipsos decepsisse, fabellis fidem addicentes; quibus fin minus ipsi crederent, illud saltem commississe, ut nos eadem imponendo deciperent*. 2. Esto, ait, miracula penes Donatistas fuerint; charitas tamen hæreticis deest, sine qua fides vel ipsos montes transferens, nihil est. Charitas autem nulla est, ubi unitas scinditur. 3. *Contra istos mirabilioris cautum me fecit Deus meus, dicens: In novissimis diebus exsurgent Pseudo-Prophetae, fa-*

cientes signa, & portentâ, ut in errorem inducant, si fieri potest, etiam electos. Miles, qui castra deseruit, rudioribus agricolis terrorem potest inducere; qui verò agere fidentius volunt, observant diligenter, num castra & socios miles ille sequatur, num militari ille privilegio fruatur adhuc. Si enim à reliquo militum corpore avulsus, nihil sibi de sociis promittere possit, minas in cassum intorquet. Eandem comparisonem in medium adducit alibi etiam Augustinus (y); cum Magorum, & Sanctorum miracula ex fine ab utrisque intento, & patrandorum miraculorum autoritate distinguit. Magi enim gloriam sibi, Sancti verò Deo tantummodo procurant; illi certâ quadam angustis limitibus præscriptâ virtute utuntur; Sanctis verò publica collata facultas ex Cæli terræque Domino derivata conceditur.

y Lib. 83. 99. q. 79. art. 4. Item. ferm. 90. & Chrysol. in Matth. 22. & alios PP. in eundem locum.

Latius hucusque de veris, falsisque prodigiis deducta in summam redigentes, asserimus, 1. Patrandorum miraculorum autoritatem penes Deum unice manere; quippe qui contra præscriptas, atque vulgares naturæ regulas manum suam, quæ cuncta dirigit, pro arbitrio retrahere unum possit. 2. Hominibus, Angelis, malisque spiritibus idem aliquando permitti, Deo ita disponente, ut creaturis suis justitiæ ac misericordiæ suæ ministris utatur. 3. Spiritus à corpore liberos, in corpora naturaliter agere posse. 4. Prodigia illa de Magis Pharaonis relata, mera Dæmonis præstigia reputanda. 5. Veris miraculis autoritatem externam conciliari tum à populo, tum à doctrina, moribusque illius cui referuntur accepta, ac tandem ab Ecclesiae approbantis autoritate.

## DISSERTATIO DE TRANSFRETATIONE ERYTHRÆI Per Hebræos.

**I**nter ea quæ in Sacris Scripturis referuntur prodigia, plura sunt, quorum magnum adeo ad Religionem momentum est, ut illis à licentiosorum cavillis, falsis impetitorum hypothesibus, vanisque ratiocinationibus incredulorum liberandis, nunquam satis laboraretur. In horum planè censum transitus maris Rubri habendus est; cujus Scriptores Sacri memoriam non semel Hebræis refricandam censuerunt; quippe, quod pro veritate Religionis, atque potentiae Numinis monumentum esset inconcussum. Nullum sanè lapidem non movit Spiritus mendacii, ut omnino ætate tenebras apertissime luci offunderet; sive insinuans, ut miraculi vis ad naturæ leges reducitur, ab impiis eludere-

tur; sive fabellis aliquibus anilibus veritati admixtis, eò superstitiosi quidam adducerentur, ut specie Religionis prodigii autoritatem & veritatem imminerent. Utrique planè veritati opponuntur; quæ scilicet veritas ingenio nitore contenta à fucis omnibus abhorret, tenebrasque depellit. Nos igitur nudam prodigii veritatem aperiemus, dicta in adversum omnia simul refutare conati.

Transfretati Erythræi memoria non apud Hebræos Sacrosque eorum Libros tantum, sed apud prophanos quoque, ipsosque Populi adversarios mansit. Diodorus Siculus (a) de Ichthyophagis circa extremam occidentalemque oram Maris Rubri incolentibus, refert receptum apud illos ferri, pelagum immodici cujusdam æstus impetu

a Bibl. l. 3. c. 3.

H in

Dissert. Calmet. Tom. I.

in duas partes discissum, in unum fundum arentem herbisque vestitum exhibuisse; refluens tandem aquas hiatum aquasse; quæ scilicet aliud, quam in Hebræorum transitu prodigium, spectare vix credimus. Sacerdotum Heliopolis in Ægypto eâ de re traditio ad Mosaicam narrationem prorsus accedit [b]. Moyses, ait Trogius, pulsus ex Ægypto Hebræis Ducem se præbens, ejus Regionis Idola unâ secum abstulit; qua repetentes armis Ægyptii, domum redire temptantibus compulsi sunt (c); quin potius improviso maris refluxu omnes unâ cum Rege oppressos, ex S. Historiæ testimonio discimus.

b Artapan. apud Euf. Prap. l. 4. c. 27.  
c Just. l. 36.

Inter eos, qui de prodigii hujus fide minus aliquanto meriti sunt, Josephus haberi inter primos potest; postquam enim divisum pelagum vix elatâ Moysis virgâ, simulque incolumem trajecisse populum, duce itineris Moyses, periisse verò recurrentibus aquis Ægyptios narravit, addit deinde (d): Hac ego, ut in Sacris codicibus inveni, ita singula conscripsi. Nemo autem mirari debet tanquam incredibilia, si prius hominibus, ad malitiam etiam tum rudibus, de salute periclitantibus, via per mare patuit, sive Dei voluntate, sive natura spontè; quandoquidem heri, & nudiustertius, Alexandri ductu, Macedonibus Pamphiliæ mare cecidit, id quod omnes testantur, qui res gestas illius Regis scripto prodierunt. Hæcenus Josephus, qui ad eam de transitu Erythræi historiam perinde esse censuit, sive quis Divinæ Providentiæ consilio, sive naturæ spontè contigisse crediderit. Hoc autem in Historico, veritati, & religioni unice studente, indignissimum esse quis neget?

d Antiq. l. 2. c. ult.

Quæ verò ille de transitu Alexandri per mare Pamphiliæ narrat, aliter prorsus contigisse ex Strabone intelligimus (e). Narrat enim Regem illum Pamphiliæ oras intempestivo tempore tenentem, cum arduum per montes transitum offendisset, secundum regionis latera, captatâ ejus maris opportunitate, exercitum deduxisse; quamquam, inquit, milites per aquam ad pectus usque iter habere integrâ die cogentur. Eandem rem paulò aliter apud Arrianum relatam legimus (f). Cum, inquit, Alexander à Phaselide movisset, partem exercitus per montes ad Urbem Pergen penetrare, breviori quidem, sed difficillimo itinere jussit; reliquam verò copiam partem ipse secundum litus ducere per viam, si quando auster flaret imperviam, constituit. Illud autem commodi accidit, quòd, averso vento insperatò quiescente, secundior alter succederet, non sine Numinum consilio, facile iter Macedonibus parantium.

e Strab. l. 14.

f Expediti. Alexand. l. 1.

Porro longè aliud est, partem exercitus, qui planè universus 35000. virorum non excederet, secundum maris litus, captatâ fluentis pelagi, fluminis secundi, fluvium & aquarum refluentium impetum remorantis opportunitate, per viam planè pacatam plenâ die deducere, quòd ab Alexandro factum legimus; aliud autem per discissum pelagi sinum coram ipsis hosti-

bus à tergo instantibus, noctisque terrorem augmentibus ultra 100000. hominum traducere, quibus & impedimenta universi populi aliò migrantis cum familiâ universâ & gregibus, adjicienda sunt; quòd de Moysè in Sacra Historia refertur.

Inter Veteres nonnulli apud Gregorium Turonensem (g), S. Thomas (h), Toftatus (i), Paulus Burgensis (k), Genebrardus (l), Grotius (m), Vatablus (n), Abenezra, alique ex Rabbiniis apud Fagium, in ea fuerunt opinione, Hebræos non quidem in adversam maris ripam evasisse; sed descripto veluti in alveo semicirculo, ad superiora ejusdem litoris contendisse. Prodigium illi quidem non negant, nec in aliam à communi sententia deduci se passi sunt, nisi difficultatibus evitandis, quas vulgari opinioni plures apponunt.

g Hist. l. 1. c. 10.  
h In 1. Cor. cap. 1.  
i In Exod. 14. quæf. 19.  
k In Exod. 14. l In Chron. ad an. 2239.  
m In Exod. 15. 19.  
n In Exod. 14.

Primò enim notant, Hebræos vix pelago egressos Deserta Etham, unde præcedenti die moverant, excepisse; iis verò tridui itinere transgressis, Maram venerunt (o). Porro Desertum illud secundum litus occidentale Erythræi protensum nunquam decurrere potuissent Hebræi, nisi citrà Erythreum se continentes, ad superiora tantum ejusdem litoris contendissent.

o Num. 33. 8. transierunt per medium mare in solitudinem, & ambulaverunt tribus diebus per desertum Etham.

Verùm urbis Etham certo situ designato, difficultas tota dissolvitur. Eam igitur Urbem, (Buthum ipse appellat, quemadmodum & Septuaginta Buthan) Herodotus in Asia (p) constituit, ad locum scilicet ubi montes Arabiæ factò divortio vastam ad latera Ægypti plantiæ mediam excipiunt. Fuit proinde Etham urbs Arabiæ ad extremam maris Rubri oram, viâ inter Rameffe & Sinai adiacens. Eò Moyses cum venisset, nihil sibi à Pharaone imminere prævidens, iter suum profequi cogitabat, cum subito viam relege-re Phihahiroth contendere à Deo iussus est. Ibi transfretato cum exercitu Erythrao, in desertum Arabiæ, quòd 7. vel 8. leucis infra Etham jacens repetebat ex Urbe nomen, evasit. Nec sanè novum videri debet, si in regione deserta, ubi Urbes raræ, loca inculta & squalentia, nominæ ex Urbibus ibidem sitis derivarentur. Quare Israelitas litus tantum rasisse, seque in latere occidentali Erythræi tenuisse fateri non cogimur, cum Desertum Etham secundum orientalem plagam potius quàm occidentalem protenderetur. Quid, quòd è Phihahiroth, sive Beelsephon ad Sinai, transfretato Erythrao, via ultra 20. leucas expeditior erat, quàm si per extremam freti oram exercitus circumduceretur.

p lib. 2. c. 75.

Addunt insuper ad eam, quam oppugnamus, sententiam asserendam, Israelitas ex alveo reductos cadaveribus à fluctibus rejectis disseminatam litus spectasse; quòd nonnisi in latere Ægypto proximo stantibus pronum fuisset, fluctibus temper ad propinquum litus cadavera rejicientibus. Sed utri propinquo litori demersi fuerint Ægyptii quis facillè divinaverit? At, inquit, in caput Ægyptiorum re-

Centesaquæ, atque inter ipsos & Israelitas iter intercludentes, suo delata cursu in averfam ab Israelitis ripam (si Israelitè mare fuisset transgressi) cadavera protrussissent.

q Exod. 14. 27.

Verùm hanc illorum objectionem Moyses antea occupavit, prodens (q): Cum extendisset Moyses manum contra mare, reversum est primo diluculo ad priorem locum, fugientibus Ægyptiis occurserunt aquæ. Ruentibus igitur super Ægyptios aquis, atque è latere Ægyptum versus primùm refluere incipientibus, demersa vitorum cadavera, ante ipsos Hebræos projicienda potius, quàm in adversum ipsi litus excutenda fuerant.

Hæc igitur sententia, quæ Erythraum transfretasse Hebræos negat, nullo satis firmo innixa fundamento, ideo potissimum obtinuit, quòd desertum Etham ad occidentem ejusdem freti malè constitueretur. Cæterum vetustissimis Hebræorum Josepho, Philoni aliisque, quemadmodum & omnibus veteribus Ecclesiæ Patribus, non alia fedit opinio, quàm quæ Hebræos per medium fretum in adversum litus deducit.

r Orig. hom. 5. in Exod. Euseb. in Psal. 135. Epiphanius. l. 64. Toft. in Exod. Geneb. in Ps. 135. Ps. 135. Hieron. in Osee. 11. 12. Theod. in Exod. q. 2. & in Ps. 135. Euthym. in Ps. 135. Gen. 15. 10.

Idem Rabbini, quibus Patrum nonnulli, uti Origenes, Eusebius, & S. Epiphanius (r) suffragantur, & Recentiores quidam, ut Toftatus, & Genebrardus (s) non dissentiant, duodecim in mari vias pro numero Tribuum patuisse ex illo Psalmi conjiciunt: Qui divisit mare rubrum in divisiones (t). Verùm hæc commode de bifida aquarum divisione explicantur, quemadmodum & S. Hieronymo, Theodoro, Euthymio ac plerisque Recentiorum visum est (u). Porro hi omnes Patres atque Interpretes hanc in duodecim vias Rabbincam divisionem appellant. Abraham divinas victimas altari imposuerat, cum subitò ignis, de Cælo lapsus transit inter divisiones illas (x). Quid inde; an ne plures inter eas victimas divisiones statuimus? His omnibus silentium Moyses addidisse juvat, qui sanè hanc circumstantiam posteritati commendasset.

R. Samuel (y) in ea fuit opinione, aquas scilicet transeuntibus Hebræis substratas solidum obsequium præbuisse; in quam rem Pseudo-Tertullianus consentiens cecinit:

*Calcavit fluctus, hostes demersit in undis.*

Sed hæc narrationi Mosaicæ planè opposita seriam nullam refutationem merentur. Fatemur quidem in Judith 5. 12. nec scio quid de aquis in murum utrimque solidatis legi: Ita ut aqua hinc inde quasi murus solidarentur. Quod cum Versione Septuaginta consentit ad Exodi 15. 8. Divisa est aqua, compacta sunt tanquam murus aqua; sive juxta antiquam interpretationem: Coagulata sunt undæ in medio mari. Chaldaeus legit: In verbo oris tui sapienter congregata sunt aqua; steterunt fluentes sicuti murus, coagulata sunt abyssi in corde maris. Textus Originalis ad litteram reddi potest: Coacturata sunt aqua, steterunt sicuti acervi fluentia, condensata, seu coagulata sunt (z) abyssi in corde maris.

z Ita Junius Piscat. Vasab. Differt. Calmet. Tom. I.

Erunt, qui eas phrasæ figurato & poetico sensu usurpatas contendant, ut re quidem nil significant aliud, quàm quòd aquæ utrinque veluti glacie concretæ substituerint; sed nihil obstat quominus ad litteram sumantur; constat enim voces illas Hebræas pro lacte coagulato, & aquâ glacie concretâ usurpari consuevisse (a). Quare doctissimi Interpretes substituisse aquas, in glaciem concretas, ad utrumque Hebræorum pertransuentium latus arbitrati sunt, quorum sanè opinio plurimum ab altera de itinere Hebræorum super solidas substratasque pelagi undas discrepat. Sacerdotes Memphæos, referente Artapano [b], in transitu Hebræorum per Erythraum prodigium intercessisse negabant; quanquam, ajebant, rudi & imperito populo prodigio simile videretur pelagus pedestre iter habentibus pervius. Moyses itaque, dicebant, cum diutinâ ejusdem maris observatione certum fluentium, & refluentium aquarum articulum, & naturam explorasset, captatâ recedentium aquarum opportunitate, vadum transeuntibus ita monstravit, ut deinde eandem viam tentantes Ægyptios aquæ refluentes demergerent.

a Job. 10. 10.

Hæc Sacerdotum Ægyptiorum commenta vehementer quibusdam arriperunt, quibus omnis prodigiorum autoritas, utpote omni vulgari credulitate superioribus, gravissimè accidit. Sæpe illi quidem ejus sententiæ patrocinium resumentes, quæ pro illa afferuntur rationum monumenta validius inculcarunt. Nostrâ etiam ætate non desunt, qui de prodigio quidem dubii, maturius rem totam examinari possulant; quò tandem appareat, inquit, an Divino prodigio vel tantum solerti in observando maris estu Moysis providentiæ tota ea res tribuatur.

b Apud Euf. Prap. l. 4. cap. 17.

D. Clericus, qui de hoc argumento disseruit (c), utramque sententiam, uti credimus, conciliaturus, eorum nempe, qui æstum à Moysè observatum, & eorum, qui prodigio Divino rem totam adscribunt; verum quidem prodigium eâ occasione factum agnoscit. Sed quale illud? Deum scilicet opportunum subitumque ventum excitasse, qui & æstum auget, & in unum maris fundum latius recluderet, simulque aquas, ne diffuerent, diutius contineret. Eo vento flante, facilis Hebræis in adversum litus trajectio parata est, quibus tamen in extremo maris Rubri angulo versantibus, brevior erat per fretum via decurrenda.

c In disert. de traject. maris Idumæi.

Verùm si Textum Mosaicum paulò diligentius consideremus, atque cætera Scripturæ loca ejusdem argumenti conferantur, simulque systema illud de trajectione Erythræi, fluentium aquarum opportunitate captatâ, spectetur; facile inde intelligemus, insignem in ea trajectione, si usquam alibi, prodigium contigisse, cujus veritatis tota de æstu maris hypothesis apertissimè repugnat.

Vix in conspectum maris venerunt Hebræi, obfideri se hinc Pharaonis castris & regione locatis, inde verò inaccessis montibus saxisque præruptis, ac tandem quem